Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-596804-p0001-1

Dissertationes in hoc volumine contentæ.

1. Positiones quædam Juridico-Politicæ dubiis quas p[ræs]id[e] Henningo Grossen, J. V. D. publicæ ventilatiōi commisit Jacobus Clemens. Vratislav. Siles. Wittebergæ.
2. Conclusiones aliquot ex Jure p[ræs]id[e] Daniele Nebel JC., defensæ à Gotfrido Martini Torg. Heidelbergæ.
3. Positiones de inculpata tutela, quas disputandas proposuit Leopoldus Hackelmann. J. V. D. Resp. Bernhardo ab Arnimb. Eq. March. Lips.
4. Disput. de Pactis, quam p[ræs]id[e] D. Wilhelmo Schmuck defendit Wilhelm Müller. Hamburgo Lipsiæ.
5. Disput. ad l. Transigere 18. C. de Transactionibus, quam Conradus Carpzovius J. V. D. Resp. Christiano Carpzovio Coldi. Misn. tuis Wittebergæ.
6. Positiones ex eâdem l. 18, quas placidæ collatiōi subiecit Franciscus Romanus J. V. D. Resp. Christiano à Brandestein. Lipsiæ.
7. Assertiones de Servitutibus realibus, quas examinandas proposuit Fridericus Georgii. J. V. D. Resp. Philippo Lochmann. Bornensi. Lipsiæ.
8. Disput. de dolo, quam p[ræs]id[e] Valentino Riemero. JC., publico examini subiecit Magnus Völger. Hannover. Jenæ.
9. Disput. de Probationibus, quam p[ræs]id[e] Conrado Carpzovio J. V. D. publico examini exhibuit Henning Schabbek. Wismar. Megapol. Wittebergæ.
10. Disp. de Fid. Testamentorum, quam p[ræs]id[e] Ortholpho Fomanno JC. [...]nis Johannes Christophorus Avemannus. Jenæ. Jenæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-596804-p0002-7

26

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-596804-p0003-2

QVOD FAVENTE SS TRIADE PROSPERE' CEDAT,

CONCLUSIONES SEQVENTES EX Tt. D. ET C. UTILISSIMI INTERDICTI,

UTI POSSIDETIS

DESUMPTAS PERMISSU AMPLISSIMI IN ACAdemiâ Lipſienſi Jureconſultorum ordinis

Publicæ diſquiſitioni ſubjicit

Chriſtian von Brandenſtein.

THESIS I.

INTERDICTORUM PROHIBItoriorum, quæ ad retinendam poſſeſſionem comparata ſunt, cùm magna ſit & celebritas & utilitas: vix tamen quenquam inficias iturum crediderim, ullum eſſe vel celebrius vel utilius interdicto, *Uti poſſidetis.*

II.

Cui proximum de vi duplici compilatores juris ideò conſtituerunt locum, tùm quia interdictum Vnde vi partim continet publicam cauſam, propter vim, tàm privatam, quàm publicam adhibitam; tùm quia gravitas hujus delicti poſtulat, ut ejus prima & potiſſima cura habeatur, & ſtatim primo quoque tempore vim paſſo ſuccurratur.

III.

Ad nomen ejus quod attinet, juris civilis ſcientiâ vel leviter imbutum fugere vix queat, id natum eſſe ex primis verbis interdicti, quemadmodum & alia interdicta ex iisdem appellationem ſunt ſortita.

IV.

Cognata habet cùm alia, tùm maximè interdictum *Utrubi*, â quo tamen differt, quod hoc ſit de re immobili, illud de re mobili.

V.

Formula totius interdicti hæc eſt: VTI EAS ÆDES, QVIBUS DE AGITUR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS: QVO MINUS ITA POSSIDEATIS, VIM FIERI VETO. DE CLOACIS HOC INTERDICTUM NON DABO. NEQVE PLURIS QVAM QVANTI RES ERIT, INTRA ANNUM, QVO PRIMUM EXPERIUNDI POTESTAS FUERIT, AGERE PERMITTAM.

VI.

Quæ verba licet non minus brevia ſint, quàm obſcura, & proinde difficilia: Senſum tamen eorum, & utilitatem in receſſu potius, quàm in fronte conſtitutam, nemo non, uti opinor, conſpicabitur, ſi diſtinctè dictum fuerit. I. Cui hoc Interdictum competat. II. Adverſus quem. III. Qua de re detur. IV. Quis ſit ejus modus. V. Quæ exceptio. VI. Quæ vis & poteſtas.

VII.

Datur hoc interdictum ei, qui poſſidet, quemadmodum liquidò innuitur his verbis: VTI POSSIDETIS.

VIII.

Poſſeſſorem hic eum intelligo, cui ſit jus habendi rem corporalem eo animo, ut ſibi eam habeat.

IX.

Rem verò illam non animo tantùm, ſed corpore quoq; ſive ſuo, ſive alieno adquiſitam eſſe oportet: licet ea animo ſolo retineri & amitti poſſit.

X.

Itaque ſi creditores in poſſeſſionem rei ſervandæ causâ miſſi ſunt, hoc Interdicto uti non poſſunt.

XI.

Idemq; dicendum eſt & de cæteris omnibus, qui cuſtodiæ causâ miſſi ſunt in poſſeſſionem, quique alieno nomine poſſident, hoc eſt, tenent potius, quàm poſſident, inter quos etiam refero ſequeſtrem.

XII.

His conſequens erat, ut nec fructuariis vim patientibus hoc interdictum competeret, cùm non magis videantur poſſidere, quàm qui cuſtodiæ causâ moranrur in poſſeſſione.

XIII.

Placuit tamen & inter fructuarios hoc Interdictum reddendum; etſi alter uſumfructum, alter poſſeſſionem ſibi defendat; item ſi uſusfructus poſſeſſionem; imò & ſi alter uſum, alter fructum ſibi tueatur.

XIV.

Adverſus quem concedatur, facilè ex verbis ipſius interdicti colligetur. Ait Prætor: QVO MINUS ITA POSSIDEATIS VIM FIERI VETO.

XV.

Conceditur ergò adverſus eum, qui non ſinit poſſidentem eo, quod poſſidet, uti arbitrio ſuo, Sive in ſerendo, ſive fodiendo, ſive arando, ſive quid omninò faciendo, per quod liberam poſſeſſionem, etiam precariam, adverſarii non relinquit.

XVI.

De quarum rerum poſſeſſione detur, in ipſo interdicto explicatur ibi: UTI EAS ÆDES, QVIBUS DE AGITUR, POSSIDETIS.

XVII.

Cæterùm ædes quis poſſideat, an fundum, nihil intereſt.

XVIII.

Æquè enim in omnibus poſſeſſionibus, quæ ſunt ſoli, locum habet, ſive quis totum fundum, ſive pro certa parte, ſive pro indiviſo poſſideat.

XIX.

Exemplo rerum ſoli dedit Prætor de ſuperficie hoc interdictum. V. g. Vnus ædes poſſidet, alter cœnaculum, ſive ſuperficiem ſupra ædes, Vtriq; ſuccurritur. Ille potior eſt interdicto *Uti poſſidetis* ipſo jure; hunc Prætor eodem tuetur ſecundum legem locationis.

XX.

Ei quoque, qui ſupra ſolum alterius projectum habet, utile eſt hoc interdictum, eadem æquitate, qua placet utile eſſe ei, qui ſupra ædes ſolumvé alterius diætam vel ſuperficiem habet.

XXI.

Sunt qui non tantum pro uſufructu, de quo ſupra, ſed etiam pro merâ qualibet ſervitute reali hoc interdictum permittendum eſſe adſeverant, quibus nullo modo aſſentior. Vti nec iis, qui ad juriſdictionem, vectigal, vel alios reditus id trahendum eſſe arbitrantur.

XXII.

Dùm verò concludo, me illis non adſentiri, illud intelligi velim, contemplatione Juris Civilis. Longè verò aliud obtinet, ſi conſideres Praxin conſvetudinariam, & ſtatum Reipublicæ hodiernæ.

XXIII.

Modum ſcitè & accuratè proponit Prætor, hiſce verbis: UTI REM, QVA DE AGITUR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS, &c. quæ verba particulatim explicanda.

XXIV.

Vi poſſidere eum definiendum eſt, qui expulſo vetere poſſeſſore adquiſitam per vim poſſeſſionem obtinet.

XXV.

Clàm poſſidet is, qui furtivé ingreſſus eſt poſſeſſionem ignorante eo, quem ſibi controverſiam facturum ſuſpicabatur.

XXVI.

Precariò poſsidere is dicendus eſt, qui precibus impetravit, ut ſibi rem tamdiu, quamdiu is, qui conceſsit, patitur, poſsidere liceret.

XXVII.

Competit ergò hoc interdictum omninò bonæ fidei poſſeſſoribus, qui non vi, ſed volentibus dominis, non clàm, ſed his ſcientibus; non prece, ſed precio, aut aliâ juſtâ causâ rem acceperunt.

XXVIII.

Amplius etiam ei datur, qui vi aut clàm, aut precariò rem quidem poſsidet, dummodò litis conteſtatæ tempore non ab adverſario ita poſsideat, à quo patitur poſſeſsionis controverſiam.

XXIX.

Quoniam verò ambo litigatores ſe poſsidere contendunt: interdictum ſic eſt conceptum, ut ad ambos referatur, ita nimirum; UTI POSSIDETIS, QVO MINUS ITA POSSIDEATIS.

XXX.

Propterea factum, ut & hoc interdictum, & alia, quæ ad retinendam poſſeſsionem ſpectant, duplicium nomen adepta fuerint: cùm ita proponantur, ut non appareat, pro quo, adverſus quem, reddantur, ſed utriq; ex litigatoribus pari conditione promittantur.

XXXI.

Licet enim & alia interdicta, quæ ſui natura & origine ſimplicia ſunt, duplicia eſſe poſſint, ſi quando ejuſmodi caſus emergat, ut in dando interdicto reus ab actore decerni non poſſit:

XXXII.

Hæc tamen ſui naturâ & origine ita ſunt duplicia, ut vix ſimplicia eſſe poſſint.

XXXIII.

Quod ipſum ſi diligenter ruminemus, facilè patebit ſenſus verborum Vlpiani, quærentis, quid ſit dicendum, ſi duo poſſideant in ſolidum, dum proponatur poſſeſſio juſta vel injuſta

XXXIV.

Quippe ſi tu poſſideas ex juſtâ causâ, Titius vi aut clàm. Si â te poſſidet, ſuperior es interdicto: ſi verò non à te, neuter veſtrûm vincetur: Nam & tu poſsides & ille.

XXXV.

Exceptio hujus interdicti ita proponitur: DE CLOACIS HOC INTERDICTUM NON DABO. Ratio eſt, quia corpus loci, in quo cloacæ, non poſsidetur, ſive ſit in ſuo, ſive in alieno.

XXXVI.

Tandem ait Prætor: NEQVE PLURIS, QVAM QVANTI RES ERIT, INTRA ANNUM, QVO PRIMUM EXPERIUNDI POTESTAS FUERIT, AGERE PERMITTAM. Quorum verborum ſenſum tùm demum percipiemus, ſi reſpexerimus ad vim & poteſtatem hujus interdicti.

XXXVII.

Sanè cùm tuendæ & retinendæ poſſeſsionis causâ detur, tàm in futurum, ut declaretur poſſeſſor; quàm in præteritum, ut ſarciantur damna; jure metitoq; pollicetur Prætor condemnationem futuram in id, quod actoris intereſt, & quidem intra annum, quo primum experiundi poteſtas fuerit.

XXXVIII.

Summa autem condemnationis refertur ad ipſius rei æſtimationem, neq; tanti poſſeſsio æſtimatur, quanti ipſa res eſt, cùm longè aliud ſit rei precium, aliud poſſeſsionis.

XXXIX.

Verum enimverò cum non ex malè conſtituto jure, ſed ex rei conditione accidat, ut nullus ex litigatoribus ſuperior ſit interdicto, neq; lis de proprietate convenienter exerceri poſsit.

XL.

Eâ de re Imperatores excogitârunt remedium certè ſaluberrimum, uti unus ex litigatoribus offerat alteri ſatisdationem judicatum ſolvi, qua caveat, ſe, ſi victus fuerit, in petitorio rem cum fructibus, & omni cauſa reſtituturum.

XLI.

Quæ ſatisdatio ſi recipietur ab eo, cui offertur, ſatisdans ſolus poſsidebit.

XLII.

Sin minus, tùm poſſeſsio ab eo transferetur in adverſarium eadem conditione, ſi & ipſe eodem modo ſatisdet.

XLIII.

Ita manifeſtè intelligetur, uter ſit poſſeſſor, uter petitor.

XLIV.

Neq; præterea adverſarius ſatisdationem præſtabit, ſeſe deinceps turbationis deſiturum. §. Atq; hæc de celeberrimo & utiliſsimo hoc interdicto in præſenti propoſuiſſe ſufficiat.

COROLLARIA.

I.

EUm qui vi dejectus eſt, experiri poſſe interdicto Uti poſſidetis, aſſeruit Jureconſultorum Belgarum facilè doctiſſimus. Quam opinionem probare non poſſum.

II.

Secundo Prætoris decreto non tantum poſſeſſio & jus uſucapiendi, ſed etiam dominium acquiritur.

III.

Stipulationem, dolum malum abeſſe? *nunc eſſe dividuam, nunc individuam tralaticium eſt. Illud non æquè, an in l. 4. §. Cato, v. ſed videamus ff. de V. O. reprehendatur à Paulo Sabini ſententia?*

In Acroaſi Jureconſultorum 3. D Decembr, horâ ſeptimâ matutinâ.

LIPSIÆ EXCUDEBAT VALENTINUS AM ENDE, Anno 1612.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-596804-p0004-8

25 26

26.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-596804-p0005-4
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-596804-p0006-9

AB: 153709

X2615956

Retro

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-596804-p0007-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-596804-p0008-1

26

PO
RMISS
Lipſienſi Jur
Publice diſſ
Chriſtian von

Conceditur ergo adve
rem eo, quod poſſidet,
, ſive fodiendo, ſive arar
, per quod liberam poſſe
arii non relinquit. XV
De quarum rerum poſſ
explicatur ibi: UTI
ITUR, POSSIDETIS.
XV
Cæterùm ædes quis p
XV
Æquè enim in omnibu
ocum habet, ſive quis
e, ſive pro indiviſo poſſ